



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXV. Præstat principem esse hæreditarium, quàm eligi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Claudam hanc partem sententia D. Augustini. In hoc seruiunt reges Deo, si in regno suo bonam uideant, mala prohibeant, non solum, quae pertinent ad societatem humanam, sed quae ad religionem diuinam.

CAPVT XXV.

*Præstat principem esse hereditarium,
quam eligi.*

*Varietas
sententiarum
et regnan-
tium.*

§. 1. **D**IFFICILEM non altercationes modo disputantium, sed imperiorum etiam maximorum iudicia, ac usus questionem faciunt. Germani qui Augustum imperium obtinent, Poloni, alique reges eligunt; Hispani, Franci, Angli, ac plerique alii hereditarios habent dominos. Quorum igitur instituta, legesque probandæ sunt? an me decet de antiquis regnorum pactis, ac consuetudinibus iudicare? Decet vero, si reipublicæ consilium dare est propositum, nec ægre ferent heredes regnorum me præferre electos, quia amici sunt electorum, nec electi irascuntur laudanti hereditaria regna, cum & illi multa hereditaria possideant. Si enim vel Imperator, vel Electores Imperatorum malunt omnia liberis suffragiis constitui, ipsi de suis hereditariis ditionibusque cedant, atque electionis arbitrio committant. Meam itaque sententiam perspicue breuiterque paucis propositionibus explicabo.

*Politia electione
constituit mag-
istratum.*

§. 2. **P**ropositio 1. Politia seu populare regimen necessario electionem desiderat, cum enim omnibus ciuibus ad honores aditus patere debeat, & pauci possint esse qui imperent, electione faciendum est discrimen.

§. 3. **P**ropositio 2. In Aristocratia etiam electio necessaria est; sunt enim plures optimates, quam esse possint in magistratu; si autem nascendi iure nonnulli dignitates obtinerent, ceteri excluderentur, & reipublica delineret in dominatū paucorum.

§. 4. **P**ropositio 3. In vniuersum hereditariam successionem electioni præpono:

Rationes quæ me ut ita sentiam inducunt, sunt variae, quas considerandas omnibus in medium profero.

*Pro successione
est antiquitas.*

§. 5. **P**rima ratio. Antiquitus nati sunt, non electi reges, quod autem in reipublica antiquissimum id haud facile migrandum. Regum enim dignitas patriæ potestati similima est; qui enim inter patres prudentiores erant familiam regebant; deinde primogeniti erant domini fratrum suorum, & incuruabantur ante eos filij matris eorum. Iacobo, Isaac oculis caligans, sed diuino oraculo seruienti, dominatum in fratrem dedit, quem exigua nascendi mora supplantator antecesserat. Dominum tuum, inquit, illum constitui, & omnes fratres eius, seruituri illius subiungam, Genes. 27. 37. De Ruben quoque idem ait, Prior in donis, maior in imperio, quia & ille primogenitus erat, sed dignitate per incestum exciderat.

*Prima regna erant
ut nunc
magna familia.*

Capita ergo familiarum erant primogenitura æstimatione, non electione fratrum, & prima regna non erant nisi magnæ familiæ. Ilinachi etiam nati sunt duodecim principes tribuum suarum, Genes. 25. 17. Eodem etiam tempore Horæi in monte Seir hereditate ducatum adibant, ut constat ex Genes. 36. 20. Quin & postea illa consuetudo mansit, nam rex Moabitum filium primogenitum arripuit, qui regnatus erat pro eo, & obtulit holocaustum super murum. Regna etiam Assyriorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Medorum, Persarum erant hereditaria. Diuino etiam munere de stirpe Davidis principes nati sunt, & apud Israelitas in ipso schismate tyrannorum filii patrum fuere successores, nisi cum alio tyranno vigente ante imperium ade-

ptum trucidati sunt. Non tamen fuit ignota electio regum ne illo quidem sæculo. Nam Genes. 36. a versu 31. numerantur Idumæorum reges octo, quorum nemo regnum hereditate obtinuit, nec credibile est omnes adoptione, aut tyrannide regnum gentis bellicose consecutos, itaque electi sunt.

§. 6. **N**on audiendi igitur viri prudentes, & magni, qui electionem volunt antiquiorem, & heroiis illis temporibus vix aliter factos reges, principatus pace, aut bello, virtutis, aut roboris prærogatiua assignatos. Naturæ enim esse deteriora posterioribus submittere. Hinc Brasileenses ad Carolum nonum Franciæ regem adducti, paruo, & tenello regi validos, & proceros Helucios parere mirantur. Errant viri illi magni, nam Heroicis temporibus videmus eos qui ad Troiam pugnant, reges regum filios fuisse, ad Deos etiam plerique progeniem referebant. Si res fabulis definienda est, & Semidei adducendi sunt, in Agypto colligam per quindecim dynastias, annis 3317. multos reges, & primos octo continua successionem liberorum heredes, post etiam lege lata ad successionem mulieres admittæ sunt. Sed illa prætereo, Tempore Moysis Troiæ regnauit Dardanus, eius posterii sunt, Euechthonius, Troillus, Laomedon, Priamus, quis Troiæ imperium negarit esse hereditarium? Reges Tyri Abibahal, Hirom, deinde Astarthus, Asserimus, Pheles. Reges Mycenarum, Pelops, Eurystheus, Atreus, Agamemnon, Orestes, Penthilus vltimus Pelopidarum. Atheniensium reges, Euechthonius Vulcani filius, cuius familia annos 285. imperium tenuit, ad Melanthum deinde translato imperio quatuordecim reges habuit, ut semper filius patri successerit. In Spartano plus varietum pulsus hereditibus per tyrannos, sed multa docent fuisse & illud ex successionem, nec modo hereditarium sed etiam dotale fuit, Menelaus enim filius Atrei ducta Helena pro dote Spartam accepit. Post vero Heraclidarum regnum diutius non interrupta nepotum serie, quam vllum aliud durauit. Apud Corinthios quoque heroum tempore reges nascebantur; Sisiphus Aoli filius, Ornition, Thoas, Damophon, Propodas, Doridas; annos autem 259. regnarunt Sisiphidae. De Iano, Saturno, Fauno, Pico Latino aboriginum regibus dicere fugio, ne fabulis rem feriam stabilire velle videar; sed euellenda vetus illa opinio quorundam, qui olim electione reges factos affirmant, & regnum fuisse virtutis, aut roboris prærogatiua donatum, certe negarent id ipsi reges, dicerentque filius sapientum ego, filius regum antiquorum. Non tamen omnem electionem tolle, nempe si nouum regnum inchoarent, si regia stirps deficeret, si in idoneus regno hæres iudicaretur.

*Heroicis
temporibus na-
scebantur
reges.*

*Exempla
vetera suc-
cessionum.*

§. 7. **S**ecunda ratio ex ipsa electione sumitur, quæ tumultui, & nouis machinationibus seditioforum obnoxia est. Transitus enim rerum malis conatibus opportuni sunt. Et cum futurus euentus incertus est, multorum animi eriguntur, multorum spes inflantur, quæ omnia cohibentur, si successor non sit in incerto. Iactationes comitiorum Romanorum cum Consul, imo adilis eligebatur, turbulenta, & cum sanguine fuere, cum tamen annuus esset ille magistratus: quid si pro perpetua dictatura decertassent? Quanto in periculo sint ditiones, nouæ electionis tempore ipsa hominum sollicitudo demonstrat, & tot exempla hæcenus docent. Et miserum sane est non in Politico tantum magistratu, sed Ecclesiasticis etiam officiis, sacrisque hominibus electionem aliquando non sine magno Ecclesiæ ac Reipublicæ vulnere peragi posse. Electio vero in Romano imperio, quas clades mundo intulit.

*Electio tu-
multu &
mctu plena
est.*

do intulerit, nemo gnarus historiae ignorat. Nero Romae bachatur, Galba ex Hispania saevitiam avaritiamque desert, Vitellius ex Gallia, Otho ex urbe proficitur, pares erant viribus, & vitiis; interea Vespasianus alia in parte eligitur. Antoninorum, Gallienique tempora si spectes, triginta simul tyranni imperium invadere. Dum enim fortuna sinit, dum sperare licet, quilibet quod fieri potest, aggreditur, & quod vigilans somniauit, adeptum se putat.

Natis regibus est maior auctoritas.

§. 8. Tertia ratio. Imperii firmamentum, & salus est auctoritas imperantis, extrema perniciēs est contemptus; at maior est dignitas, maior auctoritas eorum, qui a regibus nati sunt. Qui aliorum suffragio, hoc est beneficio, regnum debet, multa tribuere, multa indulgere suae maiestatis auctoribus cogitur, in eorum delictis ne ingratus videatur, dissimulare. Multis etiam pactis, cautionibusque libertati suae electores prospiciunt, ut quam minimam in se potestatem illi tribuant, quem eligere statuerunt, quantum de potestate minuunt, quantum suis privilegiis arrogunt, tantum de auctoritate detrahunt; Instabilis enim est auctoritas, quae solida potestate non fulcitur. Deinde tanti eum non faciunt, quem aliquando parem, aliquando se minorem viderunt. Tiberium contemplare Romanum, quem exulem, & palliolatum Graeculorum ritu viderant, inde ortae suspiciones, calumniae, coniurationes, & nobilium laniena. Galba contemptui fuit, ut qui prius aere alieno obstrictus vix Romae manere potuerit, ideo & illi brevissimum imperium, foedissimus exitus contigit. Alium Pertinacem, Marcinum, Maximinum, Balbinum, Pupienum, Tacitum, Probum, Carum cum filiis, milites quasi per ludibrium occiderunt, quemadmodum creaverunt imperatores; neque erga eos maior quam commilitones, qui fustuarium meruissent, erat reuerentia. Augusti enim insignibus, & nomine detracto, cum nec virtutis, nec generis ullo decore, aut praerogativa antecellerent, velut extremos hominum, nocentissimosque exquiritis plerosque supplicis macularunt. Contemptus igitur ex aequalitate, ex eo, cum durius imperator aliquid, indignatio, dolorisque sui cum aliis communicatio, invidia, & exitium alterius partis, & saepius utriusque.

Timide imperat qui minor fuit.

Tertio, Necessē est regem, nisi insigni animo robore sit, timide imperare, simulatas, & inimicitias potentium, & audacium hominum non frustra metuentem. Cum enim vitae brevitatem, cum fortunae varietatem perpendit, non facile eos quantumvis merentes offendet, quos aliquando imperaturos suspicatur, familiae suae, filiis, & uxori hostes relinquere multos non putabit esse sapientis. Ex quo sequitur magnatum magna potentia, maior impunitas, inferiorum oppressio, & contumeliae, iudiciorum lentitudo, causarum dilatio, difficilis sententiarum pronuntiatarum, & rei iudicatae executio. Non ignoro regum, qui animo heroico, & intaminata iudicandi aequitate pollent, providentia omnium pravis conatibus obfisti posse, sed quid ex natura electionis consequatur moneo. Quarto, si filios habeat is qui Republicae suffragiis electus est, quis non videt patrem, pro filiis omnes qui ius suffragii habent, prensaturum, omniaque illa facitura quae solent facundi, & humiles candidati? Cicero a suo tempore alienissimum putabat, accusare Verrem, cum magistratum peteret, omnes enim Verreos amicos petitioni suae aduersarios, & principem qui filium sibi successorem suffragiis aliorum destinat, necesse est saepe posita maiestate, subditis suis parem aut inferiorem se gerere. Quod si parum firmato sit animo, magisque patrem se,

Nemo liber ter offendit eum, quem dominum habere possit.

quam regem esse cogitet, multa saepe concedet, multa dissimulabit, ut filio suffragatores pareat, multa etiam per filium candidatum regni a patre postulabuntur, quae mos, ratio, aequitas praestare prohibebit, nec quicquam facile negabitur illi, a quo regnum petitur. Nec deerunt reges, qui ultra donando, indulgendo, sanguinis sui potorem, quam iustitia rationem habeant.

Dum familiae regnant paratur facile bellum.

§. 9. Quarta ratio. Quid si ne tutus quidem sit eius regni status in quo rex se familiae ultimum fore metuit. Natura ita comparatum est, ut in liberorum honoribus procurandis non minus industrii sint, & acres parentes, quam propriis. Ptolomaeus Aegypti rex cum filium suo loco regem constitueret, inter satellites eius custos affinit, adeo augustius quiddam arbitrabatur patrem regis, quam regem esse. Seuerus omnes quos noui aliquid molituros suspicabatur in filiorum gratiam trucidauit. Gordianus audito filium a Maximinis occisum, more victus, laqueo sese suffocauit. Neronis mater vita sua bene filii imperium emptum iudicabat; cum enim vates praenunciassent, fore ut si imperaret, matrem occideret: *Ocidat, inquit, dum imperet.* Demetrius filio amanti uxorem cessit, trium insigni contumelia. Cum igitur tanta vis sit humanitatis, & sanguinis, vereri certe debent, ne pater vi, dolo, blanditiis, id agat, ut filius arceri regno non possit, nec video cur hoc sit arduum, & si filius se idoneum regno praestet, & pater procerum partem in suam sententiam trahat.

Successionis commoda.

§. 10. Quinta ratio. Vtilitatem regni si spectes, multa commoda habet successio, quibus electio destituitur. Qui haeredes maiestatis suae se relicturum sperat; omnia regni negotia velut propria curat, haeredibus prospicit, avario, armamentariis, inco-lumitati ciuium consulit. David sic omnia pro Salomone accurate disponit. At qui sua morte imperium suae familiae finiturus est; causam magnam non habet, ut regni tutelae, & dignitati in longum provideat, quod mox in aliorum, forte etiam inimicorum manu futurum est. Omnem potius cogitationem eo conferet, ut liberis suis, ac familiae, cui inuidiam, & multorum simultates relinquit, praesidia, securitatemque praestet, ne iam priuati praeter ludibria, & imperia noui regis, etiam rerum necessarium penuria laborent.

Natorum ministri meliores.

§. 11. Sexta ratio. Eorum qui electi sunt, officiales, & ministri minus fidi sunt, & quodammodo rapaces; nam dum cum principis vita suas quoque functiones emolituras esse non ignorant; ad opes, & honores festinanter aspirant. Mutato enim & translatō in aliam familiam principatu, veteres ministri aut dimituntur, aut postponuntur. Quod suos quisque, quos priuatus fidos & amicos habuit, merito iudicet etiam domini sui honoribus frui oportere.

Hereditarius magis amatur.

§. 12. Septima ratio. Maior est in principem hereditarium caritas, ut a quo non solo, sed maioribus quoque & posteris beneficio priuatus quisque expectat. Nouos antequam amare incipiant, fastidire solent, & post omnia beneficia multum consequuntur, si ciuiler successor, & alterius familiae decus expectetur.

Cur non optimi semper eligantur.

§. 13. Octaua ratio. Vnica ratio pro electione datur, quod optimum, prudentissimum, fortitudine, & iustitia spectatissimum liceat e millibus eligere. Sed ea res tam saepe olim fecellit, & nunc quoque vereor, ut raro firma sit. Nolo suffragatores culpae, quasi malos elegerint, imbecillitas humana, lubrica felicitas, fastus ex tenuitate insolentior, suspiciones, opinio contemptus, timor successoris mentem etiam probe fundatam de mente deicere potest.

potest. Scelera si nescierunt regnum docuit, adulator instillavit, minister induxit, multos bonos regna fecere malos, in regno pauci facti meliores. Causa cur perperam elegerint, amor, odium, spes; qui affectus in omnia comitia allati sunt, nec in posterum facile exulabunt. Alexius sine hærede moriturus de successore deliberabat; Igitur alij, atque alij varienominabantur, sed omnes, qui sibi opportuni, atque utiles essent, nominabant. De eo autem eligendo, qui optime & ex v'su publico imperaret, nulli cura aut cogitatio erat. Choniari de Alexio.

Neroniana electionis excusatio.

Honestior apud Romanos electionis Neronianæ excusatio, apud Tacitum lib. 13. Contra alij melius euenisse dixerunt, quam si inualidus senecta & ignavia Claudius militaria labores vocaretur, feruilibus iussis obtemperaturus, Burrhum tamen, & Senecam, multarum rerum experientia cognitos: & imperatori quantum ad robur deesse? cum octauo decimo ætatis anno Gn. Pompeius, nono decimo Cæsar Octavianus ciuilia bella sustinuerit. Pleraque in summa fortuna auspiciis, & consiliis, quam telis, & manibus geri. Daturum plane documentum, honestis, an secus amicis vteretur. Si ducem amota inuidia egregium, quam si perniciosum & gratia subnixum per ambitum deligeret. Hæc excusatio de Nerone est modestior, & spe aliqua nititur, alioqui vix vllæ successiones senatus, aut militum calculo designatæ fuere laudabiles. Claudius stipes & monstrum, & tantum, cum duci iuberet inauditos, viuidus; Nero à senatu; Galba, Otho, Vitellius à milite, Titus patri successit, atque adeo inter bonos principes; Nequæ vires, & ætas non malignitas defecit. Traianus & turpissimus & crudelis fuit, sequentia monstra colligere non est animus. Melior fuit Carolus magnus eiusq; progenies. Nunquam tot boni imperatores vna in serie, quam ab Alberto secundo ex vna familia ad Matthiam primum, nunc imperii decus sustinentem. Electionem igitur qui probant, magna in Republica certamina concitant. Omnia venalia reddunt cum mores corrupti sunt. Iulianus, non apostata ille, sed qui Sæperum antecessit, propalam prætorianis pecuniam sponddit, si eligeretur, Otho professus est, id se demum habiturum quod milites sibi reliquissent. Seuerus militem coli iussit, cæteros contemnere iussit. Milites non nisi terretimum quemque, & sub quo licentius agerent, ad imperium euexerunt. Scio excipi Probum, quem dixere principem, sed mox probitate offensi interemere. Scelus tamen suum, & imperatoris integritatem Epitaphio signarunt: Hic situs est Probus imperator, vere probus, se improbos igitur ferebantur, qui probum sustulissent. Quid turbatius quam in Italia Gothorum electi reges Athalaricus, Theodazatus, Vitiges, Ildobaldus, Araricus, Totilas, Teias, omnes mali, male electi, male regnarunt, male perierunt, à suis interfecti, à quo dedecore Vitigem captiuitas liberauit. Gothi qui in Hispania fuerunt, reges Italicis longe deteriores habuerunt. Ad exempla igitur prouoco, & electione non optimos semper ad regale solium educi exemplorum multitudo, sæculorumque vetusta docuit.

Electio corruptis moribus est periculosa.

Milites in eligendo imperatore licentiam spectant.

§. 14. Varia mihi obijci non ignoro. Primo. Regum filii inter delicias, & adulationes educati, superbia inflantur, voluptatibus franguntur, subditorum æstimare necessitates nesciunt. Secundo, facile in tyrannidem erumpunt, & regnum quasi patrimonium, subditos velut seruos habent. Tertiò, in electione virtuti campus aperitur, & se patriæ probare conabuntur multi, si viris bonis ad summum imperium patere aditum videant. Quarto successio ex adulatione initium duxit, & malis artibus. Quinto, ex successione sæpe princeps habendus puer, tremenna, stolidus, auarus, crudelis. Bonus certe eligi po-

test, hoc est in potestate eligentium. Sexto æquum est, vt imperaturus omnibus, eligatur ex omnibus. Septimo. Florentissimum regnum, viris virtutibusque diues, & bellatrix Polonia regem electione creat, & sæpius externum. Augustum imperium Germaniæ electorum suffragio datur, & optimis tamen legibus regitur. Octauo, hæreditaria successiones certa sua, & magna vitia habuerunt, fere enim Heroum filii noxæ, Salomon à pietate Dauidis, Roboam à sapientia Salomonis deficit. Intercedit Iosaphat rex bonus, sed Ioram, Athalia, Ioas, Amasias impii fuere. Ioathan Deum timet, sed Achar à Deo, & religione secessionem fecit. Ezechias rex sanctissimus, Manasse, & Amonem, filium, & nepotem habuit nequissimos. Laudatur Iosia feruens pietas, sed posteritas eius degener scelera sua exitio, & captiuitate luit. Denique nusquam tanto successione absque seditione procurandæ studio laboratur, quam in Monarchia Turcarum, sed nusquam illa est infelicio, vt pauca recenscam. Baiazetes secundus fratris fugientis filios trucidat, Baiazetis filii viuo patre de successione belligerantur, tandem victor Selymus, patrem absentem, fratres & eorum filios supplices in conspectu suo laqueo perimit, nunquam in illam tyrannidem sine consanguineorum cæde peruenitur, præstare igitur successione hæreditaria videtur electio.

Exempla infelicio successione.

§. 15. Ad hæc ex parte responsum est, sed rem clarius exponam.

Propositio quarta. Quibusdam potius conuenit electio, quam successio, non quod huic illa simpliciter præferenda sit, sed vel ratione morum, & regionum, vel ratione partium Reipublicæ iam olim constitutæ, quam mutare non est viri boni, id eo nec politici. Itaque eligi regem vnum aliquem in valde lato regno non est conueniens, neque illa incommoda habet omnia quæ supra memorauimus. Si regnum illud multos principes, & quasi reges minores complectatur, quod in Germania v'su venire videmus. Etenim cum primum hoc imperium in Germaniam translatum est, non est visum alligare ad vnam aliquam domum, sed beneficium commune esse cunctis. Incommoda tamen electionis plurima hæcenus fuere, discordiæque & bella, sed plurimas dissensiones tollit electorum paucitas; Sex enim sunt, & si par sit suffragiorum numerus arbitet & elector accedit Rex Bohemiæ. Ex his tres sunt Archiepiscopi, qui ad regnum aspirare non possunt, septem electores sæculares, qui & ipsi possunt eligi, semper autem inter eos aliquis est, qui ob ætatem, aut alias causas eligi non possit. Itaque minime turbulenta est electio, nec alij principes, quamquam potentes, excludi se à suffragiis indignantur, sed legibus acquiescunt. Deinde coniuncta est electio Germanorum cum successione, non iure, aut consuetudinis præscripto, quod vim legis obtineat, sed principum electorum prudentia, modestia, & in patriam caritate. Recenscamus antiquitatis monumenta, nullum filium imperatoris quietæ electione præteritum inuenimus, quamuis adolescentes essent; neque facile futurum puto, vt alij in posterum quam imperatoris filio summum imperium deferatur. Olim Augustus, Tiberius, alij, adoptionibus priuignorum aut nepotum in sua familia diadema retinere conati sunt. Imperatorum filii imperarunt, Titus, Domitianus, Commodus, Caracalla, Heliogabalus, Gallienus, Carinus, Numerianus, Constantinus, Constantinus, Constantius, Gratianus, Valentinianus Iun. Arcadius, Honorius, Theodosius Iun. deinde progenies Caroli magni, & Othonum, pauci alij, nunc Austriacorum: itaq; in Romano mista est successione electio, sic plerumque abfuerunt quartæ,

In magno regno interdum conueniens electio.

Electio in Germania valde prudenter instituta.

quarta, & quinta rationis incommoda. Imperator enim si filios habeat, imo si sine liberis est, modo fratres habeat dignos imperio, de successione certus esse videtur; ita nec sollicitus imperii vigorem imminuet, nec res imperii quasi alienandas à sua familia negliget.

Germani contempti demerit electionis.
§. 16. Contemptum etiam imperantis tollunt Germani, nam plerumque principes potentissimos, clarissimique nominis eligunt, ut Maximilianum primum, duem Austriae &c. Carolum quintum potentissimum totius Europæ Monarcham, Ferdinandum, alterum Maximilianum, Rodolphum, Mattheum, illos enim principes nobilissimos, ac potentissimos esse constat.

Cum igitur electionis ordo accurate seruetur, cum electioni successio, quamvis sine præiudicio liberrimæ electionis, adiungatur, cum magni principis eligantur, multa electionis detrimenta evitant, & multa eius commoda consequuntur. Sed hoc gentis gravitati, sinceritati, amoris pacis, studio patriæ tribuendum est; præcipue, quia Germaniæ principes, quamvis sui iuris ac dignitatis sint retinentissimi, non tamen alieni sunt appetentes, vel ambitiosi. Itaque moribus, non electionis naturæ, aut formæ reipublicæ pacem concordiamque debemus. Turcarum mores intueri, vide mutuas fratrum calumnias, cædes, vide decrepitos patres in conspectu iugulare filios, ab illis veneno hos tolli. Quanta discordiæ, quæ ducum, ac militum corruptiones, si in illos mores incideret electio? Exemplum nobis sit augustissimæ domus Austriae moderatio. Vivit Imperator Matthias, frater eius Maximilianus, alterque frater Albertus princeps provinciarum Belgicarum, Imperator Ferdinando iam cessit regno Bohemæ, Silesiæ, Moraviæque, reliquis mox cessurus, Maximilianus & Albertus, quorum proximum ius est, ac successio, eam electionem adiuvant. Ipse Carolus quintus, & Philippus Rex Hispaniarum olim eas regiones cesserant Ferdinando. Confer his veterum cupiditates, fraudes, cædes, vide Romulum, & Remum, quorum vnus focus erat regnum, & civitatis rusticane spes duntaxat, & tamen

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Quamquam autem ea moderatio, prudentia, gravitasque Germanorum principum sit, non tamen efficiunt, ne inter regni tempore, omnes in magno sint metu, ne bella gravissima patriam aliquando atterant, Henricos, Ludovicos, Fridericos, Albertos memoria recale, videbis

Multa incommoda tulit imperium Romanum ex electione.

Signa, pares aquilas, & pila minantia pili. Externus de nobis scriptor Nicerus ita iudicat. O quanto deterius est multorum suffragium & electio, quam vnus. Tu in clivum Romanum imperium, & gentibus adoranda maiestas, quos tyrannos pertulisti? quales te amatores petierunt? quibus substructa tui copia fecisti? quales corona, & diademate, & purpurea veste exornasti? Verum querelæ cessent, pro illis Deo vota pendamus, moresque presteamus tales, qui bonos principes mereantur, & ferant.

Polonorum electio.

Poloni quoque electionem probant, sed reuera, illi quoque ingentia sæpe passi sunt damna, destituti ab Henrico Galliarum rege, & contrariis studiis aliquando duos eligendo. Verum hac etiam in parte Poloni moderate, prudenterque rem gerunt. Primo nunquam heredem excludunt, aut præterierunt, nec regnum in aliam familiam transiunt, nisi cum Ladislaum deposuissent, substituto in eius locum Wenceslao Bohemo, Ladislaum tamen post restituerunt. Non minus prudenter etiam, quam humaniter filiarum regiarum rationem duxerunt. Hedwigis ex stirpe familie, & de emortuæ in matrimonium collocata est, Jagelloni, qui princeps erat Lituaniæ, ut ea saltem ratione erga reges affectum

Poloni in eadem familia cum heres fuit regnum reliquerunt.

suum ostenderent, factum illud anno 1380. à Jagellonica familia non recesserunt, quamdiu ex ea heredes vixerunt, quibus defunctis, id quoque actum, ut Anna quæ reliqua erat è stirpe regia, Stephano infanti Heroi nuberet. Sigismundum tertium illis commendabilem fecit, quod natus esset Catharina Anne sorore. Miscent igitur prudenter electionem successioni, ut quamvis liberrima sint eligentium suffragia, tantus tamen manet affectus in regum suorum liberos, quasi hereditarium regnum esset, quæ vna re pacem, & tranquillitatem, decusque regni, & maiestatem tuentur. Nec incommodis tamen ingentibus carere; cum enim nobilitas sit magnanima, & belatrix, si regem hereditarium, & cuius regnum proprium esset, pari vellent, faciliore negotio, quam vlla gens omnia ad Pontum, Euxinum occupare, & aut Istro transito agrum Constantinopolitanum, aut Ponto transmissio Asiam invadere possent. Et hoc sane Turca metuit, ideoque damna à Polonis illata, quantum potest, dissimulat, pacem, quocunque modo redimere contentus.

Poloni regiarum filiarum rationem ducunt.

Turca Polonos timet.

§. 17. De electione & successione disserui, nunc respondendum illis est, qui electionis libertatem præferunt. Quos non ita refellam, ut non concedam multa esse electionis emolumenta, quibus successio destituatur, sed ut commodis omnibus, detrimentisque in vnum collatis, ostendam in electione plura detrimenta, in successione plura commoda esse.

Primo sine causa obijciunt saltus, & deliciae regum qui nati sunt, & in purpura educati. Eorum qui ex privata fortuna ad regnum venerunt intolerabilior superbia fuit. Repentina enim, & insueta in altum eductio tumidos facit. Et quemadmodum illis, quibus à fomina surgentibus magna subito lux circumfunditur, hebescent oculi, ita privati nouo in expertæ maiestatis fulgore attoniti, sui obliuiscuntur, & vero ita natura comparatum est, ut radii solares in obuersam faciem incidentes memoriam excutiant, præcipue vmbra assuetis. Ita nos quoque Aristoteles haud malus regum doctor admonet l. 5. Politic. c. 8. Communis conservanda omnis Reipublicæ ratio est, neminem ornare supra modum: sed exiguos potius & diuturnos honores tribuere, quam Celeriter Magnos, his enim talibus deteriores sunt. Et ferre secundam fortunam non omnes possunt. Profecto non omnes, imo vero pauci.

Electorum fuit maior superbia quam naturæ.

Otho optimus servus ante imperium, pessimus dominus fuit, ut de eo proverbio iactatum est. Prudenter contra se locutus est ille imperator, qui è duce ad augustum fastigium imperii militum euectus, clamabat: Bonum ducem & commilitones, amissisti, nec bonum tamen imperatorem fecisti. Non inficit in regum liberis esse periculum: Minus cupiditatibus suis pierique imperant inter obsequia fortune. Curt. l. 8. Sed tamen quia facillime tenera concitantur ingenia ad honesti, rectique amorem, eaque est hominis in dolens, ut ab ipsa stirpe bonus non nascatur, nec malus (de ea malitia loquor, quæ extra hereditariam originis noxam est) sed ad utrumque proclive ingenium adeptus sit, omnes cura, & opera, atque indefesso labore etiam contra naturæ inclinationem meliores effici possunt.

Qui secundæ fortune impar est, quomodo feret regiam.

§. 18. Principum tamen liberi nostro sæculo minimum semper licentiæ habuerunt, olim ratio illa valuit, cum tenella ætas sanguinem non modo in amphitheatro, sed in conuiuio etiam spectare cogebatur, cum infectis in scena omnium morum nocumenta exhiberentur. Nunc tanto fere iudicio principes eligunt, qui liberos instituunt, quanto multa reipublicæ ne principem quidem sibi præficiunt. Docentur interim temperare affectibus, amare iustitiam, misereri supplicum, omnibus benefacere. Sed de educatione alio agendum loco, ad alteram objectionem venio, quæ est de tyrannidis periculo.

Hoc tempore principum liberi solliciti educantur.

Tyranni-

Heredita-
rius minu-
exigit.

Tyrannidem in omni imperii genere timeri su-
pra dixi; etiam hoc addidi: Electum principem
plus causae habere, ut principatum mutet in tyranni-
dem, quam is, qui iure hereditario imperat; alter
enim avidius tondet, & deglubit, iam abiturus, al-
ter sequentis etiam anni prouentum expectat, inse-
ritque pyros nepotibus carpendas.

Virtus non
est sperare
mercedem
recte facto-
rum regni.

§. 19. At tertio, aiunt, Electione virtutibus cam-
pū aperiri. Primò, quot sperare possunt? Ex centum
myriadibus vix vnus imperat, deinde quæ virtus est,
regnum sperare virtutis mercedem? Simulatores,
& purpuræ candidatos, spes illa, non veræ pietatis &
iustitiæ cultores efficit. Quid vero si bonis præteri-
tis pessimi deligantur? Non loquor de athiopibus
qui ex forma corporum, re fallace & fluxa regem sibi
perficiant; nec alii qui mole, & magnitudine cor-
porū eam dignitatem æstimant; eos enim facile est
ridere, quemadmodum & auruncanos Peruvæ po-
pulos, qui pluribus graue lignum humero impone-
bant, qui diutius illud antequam succumberet, baiu-
lasset, rex conclamabatur. Nos tamen barbarorum
irrisores hæc, & scœdiora in cultissimis populis cerni-
mus. Romulum fratricidam elegere Quirites; om-
nes latrones, & qui asylo supplicium euaderent.
Illo mortuo Sabinis Numam magum, atque impo-
storem accersierunt. In Tullo Hostilio species for-
titudinis fuit, facta latronis, cum nullo iure moueret
resides in arma viros. Ancus hominum sui tempo-
ris ambitiosissimus arte regnum accepit Priscus quo-
que Græcis artibus rusticano populo imposuit. Ser-
uius, vere seruus, dolo regnum obtinuit, eum Tar-
quinius interemit. Septem fuere reges, Romul⁹ mu-
tatus est in tyrannum, & à senatu dilaceratus est. Nu-
ma simulatione pietatis occupauit imperium. Tul-
lus tyrannice administravit. Priscus prestigii sese
ingessit, Seruius fraude muliebri, Tarquinius cæde
foceri: Ecce hæc considera, & virtuti fac spem ho-
noris. Vide Claudium vnus militis clamore in ca-
stra sublatum imperare, Othonem paucis nummul-
is mundi imperium emere, Vitellium Ionus deligit,
& militum stupor sequitur. Probus, dum com-
mendatur exercitui, ut fortem, clementem, probum
imperatorem nominent, nominis prærogatiua fit
Augustus. Regillianus ex nomine, Proculus ex lu-
do, orbi imponuntur prædones potius, quam prin-
cipes.

Minima re
multa tene-
re Impera-
tores facti
sunt.

§. 20. Quod loco quarto dicitur ex adulatione
successionem ortam, id supra refutauimus, cum ostendi
antiquissimam eam esse, & in Dei populo etiam ap-
probatam. At sæpe puer tanto oneri impar purpu-
ram induet. Rarum id erit, sed tamen, & Salomon
puer erat, fratres viros habebat, cum eius pruden-
tiam totus Israel miraretur; & pueritia regum, ma-
trum, tutorum, agnatorum prudentia regi potest,
Ioas etiam puer fecit rectum coram domino, cunctis diebus,
quibus docuit eum locada sacerdos. Ipsius Neronis quin-
quennium multos bonos principes, Seneca, & Bur-
rho ductoribus superauit. Imperare possunt & pue-
ri, sed adminiculo & ductu senum. Puer erat Theo-
dosius iunior, sed quis principum pueri gubernatio-
nem æquauit? Periculum ætatis reformido, & Deum
audio dicentem: *veterræ cuius rex puer est.* Sed Bania,
Ioiadas, Senecas, Barrios, Pulcherias fulciendæ in-
firmitati adiungo. Quocirca non simpliciter tene-
ram ætatem rejicit scriptura, sed duabus rebus terræ
infelicitatem metitur, nempe, *si rex puer est & princi-
pes mane comedunt.* Si enim adoleſcentiæ in ludicra, &
delicias procliui, principes voluptarios, illecebra-
rumque artifices apponas, nā illam ipsa salus seruari
non possit.

Puer impe-
rare potest,
sed sapien-
tia senum
regendus
est.

§. 21. Septimum erat, æquum esse, ut omnibus
imperaturus, ab omnibus eligatur. Plebeium hæc

est, & ut loqui solet Aristoteles ἀρχή. Sumptum est
ex declamationibus tribunitiis, nunc legibus, vsu,
ratione, atque ipsa reipublicæ utilitate refutatum.
Nullum esse populum qui principem totus eligat,
nisi forte inter Peruenos, Canibales, aut vagos Æ-
thiopes, certo constat; neque vnquam illi ἀρχή
recte cessit. Atque hæc generatim ita esse pronun-
cio, non enim principes optimos è plebe lectos, Sar-
danapalis, & Porphyrogenitis pestibus postponen-
dos vnquam duxi. Alioquin est nobilitati quadam
indoles ad magna, & si poliatur, honesta. Effigies
maiorum in tabulario vident, ut imitentur. Ma-
gnus ad virtutem est incitamentum, & pater Æneas,
& auunculus Hector. Generose Euryp.

ὅτι τὸς δὲ πατρὶν καλλίον γέγες,
ἢ πατρὸς ἐδὴν καὶ ἀγαθὸν πεποιμέναι.

Nullum pulchrius decus filiis, quam bono ac ho-
nesto patre ortos esse. Sed ita tamen, ut non minus
virtutis sit, quam sanguinis progenies; alioqui ma-
gnitudo patris filium non producit, sed obruit. Fal-
sum est, & inuidiosum, sed pronis vulgi auribus ac-
ceptum, quod ait Spartianus: Neminem fere magno-
rum virorum, optimum & vtilem filium reliquisse. Plerosq;
tales, ut melius fuerit sine posteritate discedere. Falsum;
multi bonos, multi mediocres reliquerunt, multi erro-
re, multi neglectu educationis corruerunt, non
nulli sponte. Heliogabalus monstrum imperii. Si ha-
buero, inquit, heredem, dabo illi tutorem, qui illum hæc fa-
cere cogat, quæ ipse feci, quæque facturus sum. Culpa ergo
patrum frequenter est, sæpe filiorum prauitas omni-
bus educandi laboribus est contumax.

Multorum
bonorum
parentum
boni filij.

CAPVT XXVI.

Fæminarum imperia, sed raro admittenda.

§. 1. FŒMINAM imperium in viros tenere nisi
singulari in periculo, aut heroica virtute vi-
ris ipsius fœmina exemplo sit, æquum non iudico.
Non tamen iniuria, & contumelia sexus, à Republi-
ca rejiciuntur fœminæ, sed quia infirmiores sunt;
Consilium mulieris est inualidum, pueri imperfectum, ait
Aristoteles lib. 1. polit. In matrem suam sunt iniu-
rioli, qui fœminas omnes malas, omnes in eodem
ludo edoctas ad malitiam clamant. Non mirum in
eum sexum omnes dicere, qui à nullo defenditur.
Politico more rem pensamus, & humano. Acerbum
est enim quod procax fœminarum infector ait:

Τυράννης τις μὲν ἐστὶ ἀνὴρ ἀνὴρ τῆς
κακῶν δὲ πάντων τῶν κακῶν οὐκ ἔστι.
Mulieres quidem sumus ad bona ineptissima,
Ad mala vero omnia artifices callidissime.

Mulieres si-
ne graui
causa non
regnent.

Irrisores
infirmi se-
xus à politi-
co rejicien-
di.

§. 2. Primo quidem naturalis est fœminarum im-
becillitas; viri, quia fortes & ambidextri sunt, rege-
re possunt, & regi, at fœminæ reguntur duntaxat, vi-
ris enim subditæ sunt. Et verum aiunt, quod Hip-
pocrates aph. sect. 7. c. 44. docet. γυνὴ ἀμειδίξι· οὐ
ζῆνεται; Fœmina ambidextra non fit. Id quoque Plin.
lib. 7. c. 17. Hanc naturæ infirmitatem consiliorum
quoque imbecillitas consequitur. Sane legibus Ro-
manis tutor, & curator illis datur, quamuis valde
adultis, imo post mariti mortem. Cicero pro Flac-
co: Non licere mulieribus, sine tutorum, & procurato-
rū consilio quicquam agere. & Pro A. Cæcinnæ, Quod mu-
lier sine tutore auctore promiserit, non deberi. Et pro L.
Murena. Mulieres omnes propter infirmitatem consilij, ma-
iores in tutorum esse potestate voluerunt. Athenis, nego-
ciationis illis modus lege præſcribebatur, is autem
sex hordei modis definiebatur. Hoc quoque ad
Romanos translatus videtur, Maiores nostri (inquit
Cato lib. 4. bell. Maced.) ne priuatam quidem rem agere
fœminas sine auctore voluerunt. Multo magis igitur
ſceptis

Nulla fœ-
mina am-
bidextra.